DE DIVO MARTINO EPISCOPO TURONENSI IN EJUSDEM FESTIVA LUCE SERMO...

Pilono Piloni

DE DIVO MARTINO
EPISCOPO TURONENSI
In Ejusdem Festiva Luce
SERMO
CLERO BELLUNENSI.
AUCTORE
PILUMNO PILUMNIO
Canonico Bellunense.



VENETIIS, MDCCXXVII.
Typis Antonii Bortoli.
SUPERIORUM PERMISSU.




Illustrissimo Capitulo Bellunensi, & Canonicis Dilectis Fratribus, Dominis apprimè colendis

Pilumnus Pilumnius C. Bell.

S. P. D.



Ptè ne loco, personæ, appositè an Argumento egerim, ubi de Divo Martino Auspice Titulari, Clero vestro sermonem institui; neque prudentiâ vestrâ clarius, qua egregiâ vigilantiâ Uni vos geritis Præsides; neque pietate vestra sanctius, qua alterius castè colitis sanctimoniam, ac piè, & meditatè beata recolitis gesta, nemo dijudicare valeat. Vestræ ergo sit singularis Prudentia*, in hoc judicium, Vestræ dilectionis admonitio ac paternæ potestatis justa, ac debita de me censura. In reliquis verò neque male consultum obsequentiæ meæ ubi injuncta a natura, & officio munera cordis, & calami demisse implevi;*

 neque

neque dum quasi Charitatis petitioni feci satis ; ubi pro virili mea sartam tectam decenter cum laude, ac strenuè, cum imitatione Ducis, institutionem Sacerdotalem curavi ; sacra facinora, & gesta, qua pio exemplo, qua perenni apponens præsidio. Quam optimè verò cautum quoque dignitati, ac præstantiæ vestræ, dum illam verenti, ac humili prosequor cultu saltem ; ni apta laude, ac debita valeam commendatione implere. Æqui boniqne pariter, ut mihi adprecor, benevolentia, ac animi magnitudo Vestra faciat ; caveatque vel consilio forsan errori, vel mansuetudine imbecillitati, vel excusatione etiam audentiæ forsan meæ ; si nimio abreptus ausu publici feci meritò juris ; quòd maximè, quòd debitò privati jam obsequii mei intererat, & cultus.

Apprehende arma, & scutum, & exurge in adjutorium mihi. Psal. 34.

TAmetsi parum recti videatur esse consilii, ac minus appositæ & artis, & orationis, gaudiis innectere luctus, lætitiamque mærori immiscere; ac parum æquè aptum existere palmas inter, & coronas laboris bellici, & agonum comminisci, quia tamen sic comparatum disciplina, ac pietate nostra est, quia verè vita est militia, & ævum ducere ac luce frui, est præliari; pax enim nostra, & tranquillitas etiam bellica est; non erit incongruum in strenui Militis, ac inclyti Ducis solemnitate sacra, & triumphali, peractos pugnæ labores, aspera recensere certamina. Ad veræ pacis fœdera, ad dulcem concordiam hortantur nos quidem sacræ, & Prophetales voces; at non minus nos ad Militiam, nos ad vigiles excitant conflictus. Dulces quippe inter thalamos Divina conspicit sponsa choros castrorum, neque perfectâ enitet elegantiâ, neque pulcra est & decora nisi, ut terribilis appareat acies ordinata. Ac jubet Divina vox seri bellum more agrorum, & cultu; & pugnæ aptari, ac aspera fieri instrumenta belli, quæ utilis solum ante erant messis. Concidite aratra vestra in gladios, & ligones vestros in lanceas. Proinde Apostolica nobis concinit buccina, admonens, ut accipiamus armaturam Dei, induti loricam Justitiæ, sumentes scutum Fidei, ut possimus ignea tela nequissimi extinguere, tecti galea salutis, & scuto spiritus Cui consonat Regalis tuba, instanti afflatu: Apprehende arma, & scutum, & exurge in adjutorium mihi. Audisti, Martine, classicum spiritale; & fortis, & strenuus nomine, & animo, prælii sectator, tristi, ac labente rejecto cingulo, læta castra secutus, æternæ militiæ nomen dedisti: Pastorali in acie, egregiè laborando, factus es Victor; cum gladio, ubi nefarios hostes, scelesta agmina profligasti; tum

ſcuto, & galea, ubi Eccleſiæ ſervaſti jura, integram tenuiſti dignitatem; dum ſingularem ovium, & communem omnium geſſiſti cuſtodiam. Da, precor Tutor & Auſpex, da Nobis conatus inclytos, ſtrenuos devotè recenſere conflictus; ut pio una cultu meditantes, recolentes geſta, & ipſa quoque Te Præſide, forti imitatione ſequamur, & fiat nobis tanta feſtivitas lætitiæ inſimul, exemplo, & præſidio. In hac tamen narratione certaminis, Vos potiùs conſulit jam edoctos, quam Vos, Fratres Chariſſimi, ſermo noſter admoneat: quos recolentes quotannis feſta triumphi decora; quos caſtè meditantes ſanctæ virtutis facinora, aſſidua invenit pietas. Devotè itaque, ac appoſitè audiamus, ut fiat geſtorum commemoratio, certaminis diſciplina; & præmium ſingulare, tam piæ, tam invictæ fortitudinis, humilis, & ſancta æmulatio Virtutis.

Nobili ortu, militari genere, patre nempe Tribuno Equeſtri in Romano exercitu, Sabariæ bellicoſa in Pannonia natus Martinus, apta egregia traxit militiæ ſæcularis exordia. Erectos hîc hauſit animos, quos bello daret, impenderet armis; ſic domeſtica exempla ſecutus, jam in Romana acie inclytus effulgebat adoleſcens, parem Arti præſeferens animum, ſuſcipiens diſciplinam. At factus vix prælıator in ſæculo, jam cœperat Virtute mentis, etiam Cœlo feliciter militare: Acta, opera Charitatis, belli geſtis interſerens, jam liberalitate cordis munia pietatis obibat; ſociis modò militibus caſtrenſis ſtipendii diſtribuens, erogans partem, modò pauperi, vel infirmo opem ſuam præſtans, ubique proficuus; cunctis, noxia ipſa inter arma, ſalutaris. Hoc pietatis tyrocinio, Virtutes exercens, erudiebat, efformabat futurum proximè Chriſtianæ militiæ, Paſtorali in regimine, optimum Ducem: quaſi a Charitate initiatus, ubi parte clamydis, integrâ magnificentiâ, induens pauperem; Chriſtus ſe eadem oſtendit amictum, ut una Martinum a terrenis caſtris exeuntem, ac terreno jam cingulo declararet exutum. Inanibus itaque relictis Conſtantii ſignis, conſtantem aſſumpſit pugnam, in vera fide firmius implendam; ac impii deſertoris Juliani tentoriis rejectis, fido, immortali nomine, & prælio, ſancta cœpit

pit mereri ſtipendia . Abi felix emanſor , beate transfuga , fidelius nemo , nemo fælicius nova eſt caſtra ſecutus ; vero Sacramento , meliorem ſancis , dum frangis fidem . Sic relicta impietate ad veram religionem tranſiit Martinus, Summi, Æterni Martis ſancta prælia ſectatus . Vix limina ingreſſus fortiter adhibuit animum , ſolertem navavit operam , ut integram, perfectam , quam citò calleret novi certaminis diſciplinam ; Hilarii , ad hoc , ſpectato , veteri, pio uſus magiſterio , adhibita inſtitutione.

Hinc pietati primum caſtiſſimè indulgens, verum Dei cultum , eximiam ſtudet ſuſcipere Charitatem; qua pius miles, ac inclytus evadere poſſit Dux infulatus . Illum proinde hic videas ore, corde frequenter precibus adeſſe; Templis, ſacris Altaribus ſæpiſſimè adſtare ; ſemper animo cum Deo verſari , nunquam abeſſe ; neque a pio diſcedere opere , ni ſecum recordatione , ni ſecum meditatione præſentius allata . Virtuti autem, quæ pietati ſummoperè eſt affinis, Beneficentiæ nempè , ac largitati adeò addictus , ut cuncta tribuens , ſine veſte apparuerit interdum gymnaſta ; ut ex Euangelico aptè præcepto, terno cum hoſte pugnaret nudus in Chriſtiana lucta. Qui , miles jam aſſuetus tribuere pauperi chlamydis partem , Presbyter , & veſtem interdum Sacerdotalem , verendam quaſi, & tunicam, & dalmaticam , an non & Paſtor, ſacra munificentiâ auctâ , Charitati impenderet?

Liberalitate tamen mentis adhuc clarior ſpiritales effundebat opes , qua mente , qua prædicatione ; egentem modo conſilii prudentia ditans ; modo inſtruens ignarum , errantem dirigens ; ſolatus mærentes , dum dejectos erigeret , peccantes a noxis redimens ,dum ſervaret, cuſtodiret innocuos. Sic non modo corporali, ſed uberiore etiam cenſu ſpiritali ditabat perpetuò hominem . Qua verò conſtantia cordis , ac animi fortitudine virtutes has defenderit, minimè narrare valeam . Hac etenim impenetrabili velut ægide , adverſa ſuſtinet, perfert contumelias , odiis amanter occurrit , injuriis , tam firmus , quam illæſus ; in media irruens immunis pericula ; cuncta ſuperans, nulla timens infeſta, dummodo pietas, dummodo liberè ditionem ſuam teneret Charitas.

His autem virtutibus Temperantiam , optimam adjunxit sodalem ; quàm verò huic studuerit , qua sedulitate navarit operam tantæ virtuti , quis nobis referat ? Ut aptè hanc coleret integrâ est usus solertiâ : etenim cum duplex hæc virtus sit Animi, & Corporis, utraque manu operi incubuit; modo enim corporeæ studens temperationi , ac extimæ voluptatis regimini a nimietate vacat omni ciborum, & potus, ac plenè summæ abstinentiæ adhęret in hac sensibili moderatione. Modo autem agit ut mens à spiritali excessu , omnique intemperie abstineat ; itaut ab ambitu, ab elatione, & a simili noxa quavis jejunet . Sic æquo gradu in his processit Martinus, ac tam animi , quam corporis temperans fuit sobrietate promiscua . Sicut enim frustra tentent aves volatum , ac inani petant conatu aera, ni geminis utantur alis, ac integrè excidant, si sola utantur ; ita conscius , ac cupidus sapienter Martinus spiritalis volatus, plenam appetens securitatem, vigili ac perenni studio , utramque coluit temperationem . Modicus hinc apparuit in desideriis , continens in affectibus , cupiditatibus alienus . uti & modicæ fuere ei dapes, gracilis mensa, sobria pocula . Jejuniis aluit opiparè mentem , lachrymis aptè sustulit ardorem sensus, & simul eisdem intimæ ac extimæ cupidinis sitim extinxit

At quali, & quanta nos, Fratres , tanti sub Ducis exemplo utimur temperatione? quænam est abstinentia nostra? ah nimis qua a laboribus temperamus, qua a sacris studiis , qua a bonis operibus vacamus , nullam operam interdum navantes . Ah forsan sumus laborum abstemii, jejuniorum jejuni, ac nimium ab abstinentia ipsa abstinentes At discamus temperantiam Sanctorum, Electorum utamur jejuniis , & Angelorum , a cibo , a noxa , a malo una abstinentes · Veram a Martino accipiamus abstinentiam, ut immortali mensa, æternis poculis saturemur; ne perpetim misere maneamus esurientes.

Hac præclara corporis , & Animi temperatione , miram facilè Concordiam , & Pacem construxit , hujus enim tam amator Virtutis, ut in ipsa solitudine ipsis cum Monachis coluerit , felicissimè severit in deserto, unde & tantam collegit, & messuit segetem, ut largè cunctis tribuerit . Sic lætè Con-

cor-

cordiam attulit ad Turonenses, abundè fudit in Urbes, undique seminavit in Gallia, ut mansuram tandem effunderet pacem, ac tranquillitatem universæ Ecclesiæ. At quidam tamen auditur rumor: piis ne in castris Martini præliaris tumultus? Maximè, lætissimè; Fratres en cum semetipsa contendit æmula Virtus! major vult esse Humilitas, quam Obedientia; dum cuidam sibi inservienti vult humiliter inservire; nec sibi displicentem quamvis non vult dimittere, ne deserat mansuetudinem, ne humilitatem amittat. Sic major præire vult Obedientia, ubi subditis suis præ Charitate, & exemplo obedire non renuit; sic etiam æque parem sese effert Animi invicta patientia in ferendis adversis, summæ mansuetudini in afficiendis hostibus beneficio; in ulciscendo beneficiis, & commodis, injurias, & contumelias. Sed jam manet sublata contentio, stat lis omnis dirempta, promiscuo dum remanent jure patiens constantia, & constantissima patientia, & una degunt juncto fædere, obediens Humilitas, humillima & Obedientia.

Istarum autem virtutum optimam, & affinem custodem constituit ipsam Vigilantiam, quam undique adhibuit, nullibi deseruit. Quam durum verò, quam assiduum pro hujus gloria, ac dignitate egerit prælium, non facilè noscere valemus. An ulla Martino quies? an hora ulla vigiliis vacua, laboris expers? qua manus, qua mentis assiduo munere est irrequietus, suffecta sedulitas Animi, fesso ubi corpori permissa quies, ac alternus, quiescente Animo, corporis labor. Nunquam vacuus operis, vel Deo, vel proximo, vel sibi pervigil adstabat. Lucubratione nocturna sacris intentus literis, diurno labore officus. Labori vigiliæ, vigiliis Oratio, & preces adveniebant. Quo autem vigili cultu rem gesserit sacram, Pastoralem provinciam administrarit, non facilè intelligas. Curas exhibet Gregi summas, pares proximo, majores Deo. Sermone sacro frequens, ac jugiter vigil, insomnis, quiete abdicata dat operam muneri, ubique impiger adlaborat eloquentiâ, doctrinâ, & exemplo; ut meritò Pastorum exemplar, & decus, ovium certissimus custos, populorum publica salus, quantum fuit creditus, tantum extiterit. Sic piè invigilans, men-

mente, consilio prudentiæ excubat, castimonia Virgini, pietate pauperi, ut verè monita implerit: esto vigilans, & confirma.

At quam dissimilis nobis, Fratres Charissimi, color vitæ, & officii! Quomodo vigilamus, damus operibus curam, quam sedulo commissis incumbimus? muneris nostri fatagimus? At heu, heu, sat vigilamus, laboramus abundè, sudamus immodicè: Ah miser labor, cura infelix nostra! Nimis sumus operantes terrenis rebus, cassis mundi negotiis: sedulitatem immanem his adhibemus; accensa nimis contentione urgemus inutile opus: nimis avidè abeuntibus inhæremus, fugientia requirimus; tam inconsulto res nostras spiritales gerimus, negotia æterna tractamus, tam diversimodè a Duce nostro bella peragimus.

Sic sacro eruditus in ludo pia exercitus in palæstra castra movet in hostes, virtutibus fultus. Primo autem certamine, elatum Animi hostem, vitiorum fontem, malorum radicem, ut obstruat, evellat, superbiam nempe impetit, tantaque aggreditur virtute, ut primo conficiat conflictu. Hinc palmæ vestigia profert, non solum voce, ubi humili, ac mansueto sermone, cum fratribus, ac subditis agit, sed etiam habitu in abjecta veste, contemptibili indumento, ac despicabili apparens amictu. Vultu verò adeo affabili, ut summam humilitatem, ac animi ostenderet moderationem. Ita demissè de se sentiebat, submissè agebat, ut solum contemptum diligeret; nihilque præclarius proprio despectu haberet præ humilitate. O miseram vanitatem nostram, o præposteram dignitatem! ipsi servientes sumus membrorum nostrorum servituti; obedientiam sensibus inconsultò exhibemus, & unde presumptione cordis erigimur, operis interdum dejicimur humilitate. Ubi servientibus affectibus imperare debemus, miserè obsequimur: stultè obtemperamus, inepta voluptatum jussa capessimus, & unde dignitatem nostram justò detinere, legitimè, spiritali jussu administrare debemus, ibi caremus imperio. mandatam a Deo, a ratione, ditionem præclaram negligimus, indebitò servientes, quia improvide imperantes. Sic sumus mansueti cum vitiis, & voluptatibus, quibus tam egregiè imperabat Martinus; & morem gerimus, humiles,

sub-

subjecti sensibus, a quorum jussu, tam ipse longè distabat.

Turpem modo segnitiem mentis, ignavum animi dedecus, novo adoritur conflictu; post elatum hostem inertem; idest post superbiam otium invadit. Tam autem strenue est aggressus, ut funditus hostiles confecerit vires. Nam perpetuo opere, assidua manu pugnans, nunquam passus est otium consistere, neque ei dedit arma capessere. Labori enim vigilias, vigiliis ærumnas interserit. Humilitatem operi comitem addit, cunctaque vel magis obsoleta obit munera. Qua videas, ut Ducis oblitus, militem agit, pia inter agmina adlaborans, qua ut adversitates patienter suscipiat, qua illatas, ut dimittat injurias, ne otium contrahat aliquod ipsa patientia. Primus in prælio, ultimus in castris insistit operibus, aliena quoque implens officia, ne possit vacare a suis invicta actuum Perseverantia. Neque enim, nisi deficiente adversario, deficit pugna, nisi sublato torpore, ignavia vult sedulitas a prælio discedere; semper post certamina alacris magis ad pugnam. Adeo infaticabilis invictus, ut grato voluptatis odio dulces reddiderit sibi labores, amabiles sibi fecerit calamitates. At qualis modo noster contra otium, inertiam vigil conflictus, Charissimi Fratres, sub tam assiduo Duce? quæ sollicitudo Animi, frequentia operis? qua alacritate manus cum otio, ac inertia conserimus? Primus Martinus in pugna, in labore, ultimus redit ad castra; assiduis a vigiliis minime vacat; sed nos segnes, imbelles, ac pavidi vix sumus acceptæ militiæ memores. At quæso, ad tentoria nostra sedulo redeamus, nos nostris magis ferventes dedamus signis; ab obedientia integra non ultra erraturi, sed officiis nostris morigeri maneamus, tum præcepto, tum Martini exemplo, tam mire loquenti, dicto audientes. Jam non ignavi, sed impigri erigamus animos: sat pius vacatum ab armis, segni sat indultum paci. Vigiles imposterum, ac laboriosi de otio; Temperantes de turpis Animi hoste, nempe de indecori Intemperantia victoriam referamus. Jejuniis, abstinentiis militemus, ac de turpi ebrietate, de abjecta intemperatione, abstemio conflictu, sobrio certamine triumphemus, si irrumpere fortè, si impetere audeat, penitus profligemus. Eja, eja, Fratres Charissimi, exemplo Ducis

no-

nostri, qui tanta temperatione a Vino etiam ipso abstinuit, indecens animi onus, si unquam fortè susceptum, utiliter deponamus; vel si imminens, sapienter declinemus. Quippe non minus menti, quam corpori manet importabile, a gula, ab intemperantia blandè constructum pondus, quod si large etiam potioni jungas, vinoque admisceas, quo dulcius vile innatat gaudium, eo gravius, mens, consilium, totaque ratio absorbetur; cum honestæ vitæ usu sacri quoque nominis demerso una decore Ab excisis itaque a Duce nostro tam ignavis, quam superbis undique hostibus, discamus & nos milites, cunctas adversantes profligare spiritales nequitias. Et sicut ex tot ejusdem Virtutibus contextam quasi floribus coronam, compactum quasi e gemmis monile præclarum aspeximus, coronam hanc apponamus, non solum capiti ad ornatum, verum & menti ad contemplationem; & monile addamus pectori non ad solum nitorem corporis, sed ad flammantem cordis pariter charitatem.

Post superbiæ, ac otii coronam, cum reliqua populari Vitiorum turba, abjecta, turpi cohorte, bellum quasi gerens servile, Dux noster brevi illud confecit; statim sustulit hostes. Subito enim ad sua coegit servitia, debito subdidit plenè jugo turpes scosus, pravos affectus, docens omnimodis recto obtemperare, parere rationi; nec de quavis minima imposterum ditione animi cogitare.

Ubi tam feliciter sibi, gregi, & homini est prælatus Martinus, vult demum solis Astris, soli Deo decertare. Cum gemino itaque pietatis hoste, veræ pietatis invasore, nempe cum subdolæ mentis hæresi, & cum ignara Religionis Superstitione & Idololatria manus conseruit, fortiter strenuè tractans telum, & hastam Unius autem vires funditus subito hausit, robur omne, & nomen confecit, lucos dans flammis, Idola dans solo Hæresis vero peregit fæliciter certamina, vario licet primum bellici casus eventu, nam ab Arianis dolosè quamvis captus, dire vexatus, exilio mox datus; tamen instauratis armis, dura post prælia, acres post pugnas, inito etiam fœdere, icta pia, forti cum Hilario societate, manus qua privatim, qua publicè in sua Diœcesi, ac universo Galliæ regno, qua solemniter demum sacris in Comitiis, universalibus in Conciliis, manus in-

quam,

quam, fortiter conferens, immani vulnere fregit hostes, silere coegit; reddita universæ Ecclesiæ, ac veræ pietati tranquillitate.

Hæc bellica impios, pravos in hostes Martini gesta. Quis autem referat, quæ cætera fuerint præclara acta? Cunctis enim floruit Virtutibus, nullis defuit piis gestis simplex sive noxa, rectus fuit sine errore, absque muneris expectatione benignus, indulget misero, parcit lædenti, clarus degens in mundi contemptu, perstans fortis in fuga Vitiorum; solante gratia, undique lætus, nunquam mærens, nunquam tristis, culpa semper absente. Verax in sermone, justus in opere, pœnitentiam agit innocuus, dum alienas vult luere pœnas; tam sibi durus, quam mansuetus aliis, vacuus somno, laboribus repletus sacra licet inter Altaria, perpetuò licet degat in templis, nunquam tamen sedet in Ecclesia, ut Animus sit semper erectus, ut faciliùs Deo spiritus adsit. Si incidit in hostes, beneficus ulciscitur injurias, molestos plectit & venia, si incidit in mulieres, præclariùs, refugo oculo tollit aspectum, fugiente aure, aufert auditum, mulieres nunquam alloquutus. Quid agas Martine, si incidas in latrones? o quas, Tu Dux inclyte, refers, in Tuo prælio Coronas! quæ præclara agis facinora! Fælicem, mirabilem, o Te raptorem, qui furem exuens nequitia, probitate induens, ubi amictum scelere invenis, nudum pravitate relinquis! Non supplicia incæpta paventem, dolentem in Cruce, Summa cum Pietate pium; sed in nequitia justum, sed probum in ipsa creas, mirabilis, improbitate!

Quam vero potens fuerit Martinus in opere, quam fulgidus Virtute miraculorum, quis nobis sat narret? Qua Paulino erepta cæcitate, restituit lucem qua speciosam facit Lutetiæ Parisiorum portam, gloria signorum, dum in egressu ejusdem, lepræ mandat inficienti discessum, qua misere carentes invemens, facit mirabiliter ratione utentes. Jam Virtutibus, jam Signis tam clarus, ut ipsis refulgeat in Cœlis. Hinc puritatem Virgo gaudet Maria, comitata Virginum cætu, Agnete sociantibus, & Thecla grato invisere officio. Pastorali hinc sollicitudini adesse volunt Petrus, & Paulus, Beatam potestatem præstando edictis, sacra Consilia, Cœlestibus monitis dirigendo: frequenter, & illum addit Angelica turba, hilari accedens

vultu,

vultu, majore abscedens gaudio, ac fulgore repleta. Non sat gloriâ, non sat militiâ adhuc repletus, novum appetit certamen; supremam decernit pugnam, eum ipsamet morte contendit, manet etiam non semel devicta, non semel in fugam versa! Ter Vita, suavi ditioni suæ in Proximo restituta. Tres enim (egregia Christi imitatione) vita functos, letho ereptos Vitæ restituit, defectosque reparavit suo spiritu artus; vi mortis repulsa, effusam auram refudit corpori, haustus primos reddidit vitales; sic ubique prælìis suis victor, ac quoquo versum Triumphalis.

Tot tamen inter lauros, tot spiritalibus septus coronis, tandem, & Tu, sub jugo mitteris, Martine; victorem demum tui invenis, tuas inter cohortes, domi victus jaces; victus cempe in Condacensis Tuæ Diœcesis vico, ubi vel caperis, vel capi cupis, & detineri. Vicit Te alius, vicit tamen Te sola Charitas; subegit te solus Amor, ubi rogaris a tuis militibus, secum ut persistas in bello: cur nos pater deseris, cui nos tristes, & solos relinquis? Instaote sic dulci prælio, urgente tam grato hoste, dulci obsidione est devictus. Non cogitat jam de Victoria, novam sed solum comminiscitur pugnam. si necessarius non recuso laborem. O sollicitum Ducem! pugnæ, non coronæ meminit; non spolia, sed certamina spectat! quos deserat miseros, non quos inveniat beatos, strenuâ mente revolvit: Magis quam de suo lætus honore, de victoriæ fructu, de alieno prælio, de filiali est anxius fælici certamine. Summa Animi Virtus, summus prçliaodi ardor, non de palmæ admonet gaudio, sed eum edocet de præliandi labore Sic nunquam fessus in armis, nova appetit hostium bella, nova gerit, non pro se, sed tantum pro militibus arma, hoc enim Ducis responsum si adhuc populo Tuo sum necessarius, non recuso labores. An communis, an familiaris hæc benevolentia, hæc Virtus in homine? Quis enim ex nobis post opes è longinquo advectas, post merces a naufragio incolumes, turbata e via reduces, recònditas, usum sibi dirimat, iterum vela pandat, tempestati se dedat jactanri; non ut sibi aggeret, sed tantum, ut prosit aliis, alios augeat divitiis? Non enim facilè quis nostrum iterum agrum colat, iterum serat, semina terræ mandet, eam in-

ſtruat aratro, vomere, novas ut metat ſegetes, tantum alieno uſui uberes, proventus tantum alienæ paret inopiæ, vel commodo Verè hic de forti egreſſa eſt dulcedo a pugna, a fortitudine in hoſtes, Charitas orta eſt in filios, favus verè mellis ex ore Leonis ideſt poſt egregia in adverſos certamina, dulcia Amoris in fratres facinora, dum doctrina, & exemplo, ſermone, & opere ipſos ad pietatem inſtituit, dum exhibet adverſantibus veniam, largè impendit miſericordiam egenis, & ſtrenuè tuetur præſidio ſuo milites. Sic reſpondet ingens Paſtoris Charitas ovibus, indulgens Ducis imperium, pio clamori militiæ. Non adeò enim ſuaviſſima avium columba ſinu amplexam caſto cuſtodit affectu implumem adhuc ſobolem, cara ſolatia a raptu tegit, & dolo; ut ſapiens cor tuum, Martine, compaſſiva recreat mente, tenero fovet auxilio, ac ſacro recondit pectore ſobolem ſpiritalem

Hæc de virtute Ducis, quid autem de ſegnitie forſan militum? o ſtrenuum in Duce præliandi morem, vitam non appetit, nec mortem reſpuit, pericula quærit, non deſerit, accenſus in pugna, vult pro filiis manere in conflictu, a ſolo profectu, a ſola voluntate militum ſua vult pendere certamina O pudorem e converſo noſtrum, qui ſuſcepti belli initio, prima pugnâ jam ſeſſi; antequam præliares, prius refugi, prius exterriti quam exerciti, vix in ſtatione noſtra manemus. Officia quippe noſtra ſepè deſerimus, neque debitis excubamus vigiliis Heu heu, & manus quoque hoſtibus interdum damus, a noſtris affectibus, vel perturbationibus victi vix noſtra tuemur caſtra, non modo utilitati præliamur alienæ O dolendam nimis inertiam! o deflendam fortè nimis ignaviam! At ſupremus inſtat vitæ conflictus, æternitatis jam pugna an hîc minor ſe geſſerit armis? ſteterit nec ultimo certamine ſtrenuus? Hæc ſingulos erigit animos. Quid urges infeme hoſtis? timeat an Martinus, qui nunquam timuit? Tu ne vincas, ſceleſte, qui nunquam ſtetiſti victor? ſingulare veluti ad certamen dirum, cruentum inimicum provocat Dux invictus; extremo bello, ultimo conflictu, ſummam addens Virtutem, cunctas, ut ſanciat adoreas, ultimâ palmâ; Hoſtem enim ſic temnit, ut eum nec aſpectu dignari velit. Terram premens una cum hoſte, non ſtadium,

ſed

ſed beatum reſpicit Capitolium, ubi ſemper Victor exultet, triumphalis perenniter maneat. Sic ubi deficit, veram abit ad palmam, quam longo, quam fido meruit conflictu, longoque certamine; præliari nempe luſtro ſextodecimo. Aſſiduus, vigil, nunquam recedens a pugna. Viciſti Martine, & egregie, & piè, & quod maximum eſt, Beatè viciſti; initio belli, medio conflictu, ſupremo prælio. Prudentiâ clarus, mundi ubi deſeris ſigna; Pietate eximia, ſacra ubi ſuſcipis caſtra. Fortis dum tot patrans facinora, tanta imples geſta, tot nefarios qua viſibiles, qua inviſibiles diruis, & profligas hoſtes; ſcuto contegens ſocios, gladio perimens, conficiens adverſa: laureata gaudes doctrina, triumphali quoquo verſum exemplo. Semel tantum majore cum laude, a Charitate, a Dilectione devictus. Juſtè diceris invicto animo, ubi Satanam excitas ad ſingulare certamen, præmium referens, ut ſcis certum præſidium in Dæmonem, ac meritò etiam diceris admirabilis, ter morte devicta, ter vita admirabiliter in homine reparata. Tandem mortali ſolum deficis in conflictu, debita, emerita, immortali, ut poſſis potiri corona.

Sic obit Martinus Beatis in geſtis, pia inter, & præclara certamina, qui nunquam deditus hoſti, ſed ſemper vigilus excubans, fortis in commiſſo vallo, in quolibet Victor commiſſo prælio. Hic mœrore ſtaret afficienda, lachrymis ſocianda militia noſtra, iners noſter conflictus, ſub exemplo tam ſtrenui, invicti certaminis. Tamen in die lætitiæ gaudeamus, feſtivitate geſtiamus affini, in tanti militis clara jucunditate, & in tanti Ducis Beata exaltatione; inclyti Tutelaris immortali victoria gloriemur. Sapiens ſit tamen lætitia noſtra, ſobria quoque gloriatio noſtra. Erit lætitia ſapiens, ſi tanti Auſpicis læti præſidio, inſtructi diſciplina, opere utentes, ſapienter diſcamus noſtra peragere certamina. Sapiens erit gloriatio, pari ſi exemplo, æmula ſi Virtute, piè, fideliter, ſtrenueque præliantes, pro brevi licet paleſtra, pro mortali quamvis ſtadio, & conflictu, perpetua, æterna, una cum Ipſo, mereamur Coronâ donari; quia ſempiternæ Veritatis Caſtra ſecuti, Regi ſæculorum, immortali, fida geſſimus bella, ſtrenua, fortia confecimus certamina.

FINIS.